

sponsoque ætatem ac pulchritudinem pares, regiis ortos parentibus, omnibus cum corporis tum animi dotibus cumulate ornatos perpendimus, sive fructus et commoda quæ ex hoc auspicatissimo conjugio universæ christianæ religioni provenient consideremus, nihil profecto eo omnibus et partibus miro quodam consensu inter se magis congruere, nihil eo illustrius, nihil demum perpetuo elogio dignius judicandum est. Quamobrem, summæ nostræ erga

Majestatem Vestram benivolentiæ maxime consentaneum fore existimavimus, si his nostris literis in presentia eidem vehementer gratularemur, Deum optimum maximum ex animo precantes ut nuptias has fortunare ac ratas esse velit, ut coniugibus ipsis exoptatam sobolis propaginem dignetur elargiri, ut denique eos vitam lætam ac omnibus exuperantis fortune honis quam diutissime transigere permittat.

Data die 17 Februarii 1521.